

Joachim Schnobel Bernhard Balthasar Soltovius

Disputatio Iuridica De Pactis

Rostochii: Kilius, 1645


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731860853>

Druck Freier  Zugang



Verträge

Vertr.
Stenobel-Soltoovias .
R. U. Jan. 1645. /g



DISPUTATIO JURIDICA

DE

PACTIS, 62

Quam

DIVINA ANNUENTE GRATIA,
Consentiente Nobilissima & Amplissima Facul-
tate Juridica in Academia ad Varnum sita,

PRÆSIDE

VIRO Amplissimo, & Consulsissimo

DN. JOACHIMO SCHNOBELIO,

J. U. D. Prof. P. & Juridicæ Facultatis p. t. VICE-

DECANO Spectabili, Dn. Præceptore ac Promotore suo
ætatem colendo,

Publicè discutiendam exhibet

BERNHARDUS BALTHASAR SOLTOVIUS,

Rostochienfis

Die // Septemb. horis ante meridianis

IN AUDITORIO MAGNO.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Academia Typographi.

ANNO M. DC. XLV.

1145





THESIS I.

Pactum nihil consentaneum magis fidei, quam ea, quæ semel placuerunt, servare *l. 1. princ. b. r.* & grave est fidem fallere *l. 1. princ. de confis. pecun.* Ideoq; Prætor naturali favens æquitati *d. l. 1. princ. eod.* in omni controversia ad se delata, antequam actionem daret, primùm animadvertendum censuit, utrùm aliquid convenisset pactumve esset, quo actio stricto jure valitura æquitate exceptionis elideretur. Et hinc pacta conventa legitime sincereq; facta se servaturum esse edixit *l. 7. §. 7. b. r.*

II. Pactum dicitur à pactione *d. l. 1. §. 1. b. r.* quam ab illo differre tradunt tanquam causam ab effectu, ut pactione ipse sit actus sive factum contrahendi, pactum autem propriè jus ex pactione resultans *Wesemb. parat. ff. h. r. num. 2.* In jure tamen nostro hæc duo promiscuè usurpantur, ut ostendit *d. l. 1. §. 2. b. r. junct. l. 3. de pollicitat.* in quibus textibus utrumq; vocabulum, ab uno eodemq; Juris consulto similiter definitur, adde *l. 15. de præscript. verb. & alias,* in quibus illa duo confunduntur.

III. Definitur, quod sit duorum pluriumve in idem placitum consensus *l. 1. §. 2. h. r.* Dico duorum pluriumve, ut distinguatur à pollicitatione, quæ in specie sumpta est *μὴνόμενος* & solius offerentis promissum *l. 3. pr. de pollicitat.* Addo, in idem placitum, quæ verba non ita sunt exaudienda, ut etiam disputationibus & deliberationibus sapientum, qui in unam tandem sententiam conveniunt, competant: aliud enim est de re, aut in re quadam idem cum alio sentire sine vi pacti, aliud in eandem rem consentire & in se recipere futurum, ut res illa sequatur, *Donell. ad rubric. C. h. r. num. 2.* Deinde idem placitum non nudè est accipiendum, sed pro eodem negotio contrahendo vel transigendo quod placet, *arg. l. 1. §. 3. h. r.* Generis deniq; loco subsequitur *Consensus,* qui extra paciscentes alijs quoq; tribuitur.

IV. Pactum ita definitum & Conventio usu juris æquè latè patent, quia utriusq; eadem est definitio. Quid enim ex Ulpiani sententia *d. l. 1.*

§. 3. *h. t.* conventio aliud est, quàm plurium in idem placitum de negotio contrahendo transigendoq; consensus? ita verò & pactum definitum. Pacto verò in edicto Prætoris additur Conventum, non quasi hoc ab illo possit esse diversum, aut pactum detur in quo non sit conventio, sed rei saltem magis exprimendæ, veletiam ambiguitatis virandæ causâ, cum non saltem à paciscor, ut nostrum hoc, sed & à pango pactum idem quod fixum & junctum denotans, derivetur.

V. Explicationem nominis & rei sequitur Divisio. Dantur variæ pactorum Divisiones, quarum plerasq; recensere operæ pretium erit. Prima hæc est, quod pacta quædam sint privata quædam publica. Privata sunt, quæ ex causâ privatâ singulorum sc. utilitatem concernente fiunt. Publica, quæ ad rempublicam ejusq; statum spectant, seu quæ ex causâ publica fiunt *l. 5. h. t.* & vel à principe & populo ipso summam rei tenente, vel nomine utriusq; ab alio. Quò pertinent fœdera, induciæ, confraternitates, capitulationes de imperio gerendo, & id genus alia.

VI. Publici pacti exemplum Ulp. dicta *l. 5. hoc t.* proponit, quod fit per pacem, qua occasione Doctores quærunt, an Princeps pacem faciendo cum hostibus privatorum damna atq; injurias ob causam belli acceptas remittere possit? quod ex communi sententia, ubi alia ratione bellum extingui & pax haberi nequeat, ob summum hujus favorem & publicam utilitatem, cui omnia privatorum commoda postponenda sunt, affirmamus *l. 15. §. 2. de rei vind. l. 11. pr. de evict. Duarenus comm. add. l. 5. h. t. Gail. 2. observat. 57.*

VII. Altera divisio pactorum privatorum est, quod quædam nuda sint, quædam non nuda seu vestita. Pactum nudum pro subjecta materia modò de conventionione quavis traditione nondum consummata *l. 20. C. h. t.* modò de contractu, qui solo consensu constat *l. 1. §. 2. de rerum permut. l. 5. §. 1. de nau. fen.* dicitur. Hic autem pacta nuda dicuntur, quæ nudo placito constant, seu in metis terminis juris naturalis & conventionionis subsistunt, Bartol. in *l. 7. §. 4. num. 14. de pact.*

VIII. Non nuda sunt, quibus præter nudam conventionem jus insuper obligationis civilis & actionis est annexum, quod habent vel ex confirmatione & approbatione legis, vel naturâ sua ut contractus, vel ex accidenti, quod coherent contractui; Hinc re quæ dividuntur in illa, quæ sunt legitima, & quæ juris gentium,

IX. Pa

IX. Pacta legitima describuntur *l. 6. h. t.* quæ lege aliqua confirmantur. Voce Legis latius accepta etiam Senatusconsultum & Edictum Prætoris comprehenduntur. Confirmationem autem hîc intelligimus specialem, qua pacta aliàs per se nuda ex numero cæterorum pactorum in specie exempta & ad actionem confirmata sunt, adeoq; totum suum esse legi ac juri positivo acceptum ferunt. Unde satis apparet ea pacta, licet contractibus accenseri non possint, non tamè esse nuda, quippe vim & autoritatem obligandi & actionem producendi, qua illa destituuntur, habentia.

X. Pacta juris gentium non nuda vel sunt ipsi Contractus, vel Pacta contractibus in continenti adjecta. Pactum generaliter acceptum contractibus omnibus convenire ex ipsa pacti liquet definitione. Discernuntur verò à pactis causa & nomine *l. 7. §. 1. & 2. h. t.* Causa quid sit, scrupulosè ab interpretibus indagatur. Nos putamus esse negotium aliquod de dando aut faciendo vi & autoritate invito etiam obligandi & constringendi, ob summam commerciorum ad vitam communem necessitatem, jure gentium & sic sua natura communitum. Et quia de istius modi negotio plerumq; ultrò citròq; prolixus habetur tractatus, donec tandem hinc inde de dando aut faciendo consensus eliciatur, hinc in aliud à pactione nomen transferunt, & Contractus (græcè *συνάλλαγμα*) sunt appellati. Ex his Contractibus quidam rursus ob frequentiore sui usum, & quod specialior quoq; nec tam vaga ipso- rum esset natura, specialius nomen acceperunt, & Nominati; quidam ob naturam suam minùs determinatam commune nomen retinuerunt, & Innominati dicti sunt, prout hoc dilucidè probat JCtus *l. 7. §. 1. & 2. h. t.*

XI. Pacta in continenti contractibus adjecta quia pariunt obligationem, rectè non nudis annumerantur; & quoniam omnem obligandi efficaciam habent à contractu, cui sunt adjecta, meritò & ipsa juris gentium esse censentur, cum aliàs accessorium regulariter sequatur naturam sui principalis. Ut autem pariant obligationem, necesse est in continenti, hoc est in ipso contrahendi actu adijci *l. 27. in fin. ibi: cum inchoatur, de Reg. jur. l. 7. §. 5. versic. idem Marcellus, ibi: qua in ingressu, h. t.* Nam si ex intervallo adijciuntur, manebunt nuda, siquidem opus est contractum esse in fieri, ut ab eo pactum possit informari *l. 13. C. h. t.*

A 2

XII. Ter:

XII. Tertia pactorum divisio est, quod quædam sint expressa, quædam tacita, quæ divisio saltem de nudis pactis est exaudienda, in legitimis & adjectis non habet locum: Contractus, etiam hoc modo non dividuntur, sed *in veros & Quasi contractus* h. e. tacitam saltem conventionem habentes. Cæterùm quæ sint expressa pacta, liquet, quæ scilicet expresso (litteris nempe aut verbis) constant consensu: unde sequitur tacita esse, quæ constant consensu tacito.

XIII. Consensus tacitus hic est à lege præsumptus & subintellectus, cujus fundamentum est factum aliquod, aut iusta quædam causa ex circumstantiis probabiliter colligenda. Præsumit enim exinde jus, paciscentes hoc vel illud voluisse, licet aliud voluisse non minùs probabile sit, veluti cum ex reddito chirographo colligitur voluntas remittendi debitum, seu pactum de non petendo *l. 2. §. 1. h. t.* quod & colligendum, si in illo plures velut correi sese obligaverint, & uni saltem redditum sit chirographum *Castrens. ad d. l. 2. h. t.* vel plures ejusdem tenoris sint scripturæ, & una saltem reddita, *Jason in d. l. 2. h. t. Menoch. 3. præsumpt. 140.* Reliqua exempla huc pertinentia, quæ sunt in *l. 4. h. t. consul. præterimus.*

XIV. Quarto dividuntur pacta in illa, quæ sunt in rem, & in personam *l. 7. §. 1. h. t.* In rem pactum est, si indefinitè pactum sit, ne petatur. In personam, ne à Titio petatur. In personam autem seu personale specialiter hic accipitur, sicut constitutiones quædam aut privilegia dicuntur personalia *§. 6. instit. de I. N. G. & C.* quod personæ cohæreant, nec ad heredes transmittantur. Alias enim obligationes quoque & actiones dicuntur personales & in personam, quæ tamen descendunt ad heredes. Hæc autem pacta ultra personam ad alios etiam non porriguntur *l. 57. §. 1. h. t.* Unde patet divisionem hanc non à materia, sed ab effectu esse desumptam. Id verò non omittendum, quod pacta in dubio præsumantur in rem, non in personam, præsertim si apparet non limitandi sed saltem demonstrandi causa personam esse adjectam *d. l. 7. §. 8. v. utrum, h. t.* quilibet enim heredibus suis prospicere voluisse intelligitur *l. 9. de probat.*

XV. Alijs pactorum Divisionibus & differentiis omissis jam ad Causam efficientem progredimur. Hæc est vel remota, vel propinqua. Remota est Jus, quod pacisci permittit; Propinqua est Paciscens. Videamus, qui cum quibus possint pacisci & quorum pactum quibus proficiat possunt.

Possunt pacisci omnes qui consentire, quia pactio est consensus *l. 1. §. 2. b. t.* A facultate autem hac seu potestate consentiendi & sic paciscendi excluduntur quidam *Naturâ*, quidam *Lege*.

XVI. *Naturâ* pacisci prohibentur quidam ob vitium seu defectum animi, ut furiosus, utpote cujus nulla est voluntas, *l. 40. ff. de R. I.* quique absentis loco habetur *l. 124. de R. J. l. 2. §. 3. de jure codicill.* adeoque nullum negotium, ne curatore quidem autore, contrahere potest *l. 5. de R. J.* Infans, impubes sc. septem annis minor *l. 1. §. pen. de oblig. & action.* quoniam intellectum non habet, nec multum a furioso distat. *§. 9. Inst. de inutilib. stipulat.* Ob corporis vitium pacisci non prohibetur mutus, quia licet exprimere consensum voce non possit *l. 1. §. pen. & ult. de oblig. & action.* tacite tamen eundem declarare potest, *verbi causa*, reddendo chirographum debitori, inferendo aliquid in ædes conductas *l. 4. §. 1. b. t.* imò & expresse per nuntium, Epistolam, nutum, consensum determinatum edere potest. *l. 52. §. ult. de oblig. & action.*

XVII. *Lege* prohibentur Pupilli quivis, etiam infantiam majores, sine tutoribus suis pacisci de ijs rebus, quibus conditionem suam reddunt deteriorem *pr. Inst. de autor. tutor.* nam ne naturaliter quidem obligantur *l. 139. de R. J. l. 19. de oblig. & action. l. 41. de condit. in deb.*, tutore verò autore omnia agere, & sic quoque pacisci possunt *l. 5. de R. J.* Idem dicendum est de minoribus 25. annis si curatores habent *l. 3. C. de restitut. in integr. minor.* Etsi enim ejus ætatis sunt, ut intelligant quid agatur, tamen cum fragile adhuc eorum sit iudicium *l. 1. de minor.* jus civile dando curatores omnem administrandi res suas ipsis adimit. facultatem, adeo ut unâ etiam effectus naturalis obligationis subtrahantur, & illa ipso jure nulla sit. Ad classem legè prohibitorum pertinent etiam Prodigii, quibus bonis est interdictum, *l. 12. de curator. & tutor. dat. §. 2. Inst. quib. non est permiff. facere restam:* quia nec illorum quoad alienationem & diminutionem rerum aliqua est voluntas *l. 40. de R. J.*

XVIII. Porro cum Hoste pacisci licere, eiq; datam fidem servandam esse, nullatenus est dubitandum, præsertim si pactum à personis publicis ex causa publica in eatur *l. 5. ff. b. t.* Quod tamen non minus de privatis est intelligendum, quia inter hostes quosvis manet etiam juris gentium

um, ideòq; & obligationum & conventionum communio. Major dubitatio est de latrone, prædone, pirata, propterea quod qui atrociter sunt malefici, neq; pars ullius civitatis esse videantur, sed tamen, quia primò lex nulla pactionibus cum illis contrahendis interdicit, 2. quia homines sunt, atq; ita naturalis & gentium juris communionem habent. *l. 31. pr. §. 1. de pos. utiq; fidem ipsis datam servari debere patet. Aliud sanè est, eos ante datam fidem posse interfici, aliud ipsis maleficium exercentibus fidem dare. Idem de fugitivis, desertoribus, rebellibus est statuendum. vid. Hugon. Grot. l. 3. de jure bell. 19. Bachov. ad Treus volum. 1 p. 245. & sequent.*

XIX. Expediamus nunc membrum hujus capituli alterum, de ijs, quorum pacta alijs profunt. Sanè ad instar aliarum obligationum ac stipulationis §. 4 & 18. *Inst. de inutilibus stipulation. l. 38. §. 17. de V. O. regulare quoq; hinc est, quod pactum unius alteri non profit, quod patet ex l. 36. l. 40. §. ult. hoc tit. ratio ejus eadem, quæ in stipulatione d. §. 18. Inst. de inutil. stipulation. d. l. 38. §. 17. de V. O. Patitur autem hæc regula quasdam exceptiones, & perdit officium suum ratione Potestatis, Conjunctionis, Successionis & Administrationis.*

XX. Ratione Potestatis limitatur in filio familias & servo: hi enim paciscentes ob potestatis nexum, quo personarum unitas inducitur, patri & Domino profunt *l. 17. §. ult. & 3. ff. sequent. l. 21. pr. & §. 1. h. t. Obesse vero regulariter non possunt, verbi causa, si paciscantur, ne à debitore petatur: sed id distinctionem recipit. Vel enim paciscuntur, ne ipsi petant, vel simpliciter ne petatur. Et priori modo si servus paciscitur, pactum illud est inutile *l. 28. §. 2. h. t. quod ibidem etiam traditur de filio; posteriori modo paciscuntur vel super eo, quod pater aut Dominus contraxerunt, & tunc pactum est nullum, vel super eo quod contraxerunt ipsi, & tunc, quibusdam requisitis concurrentibus, de quibus vide d. l. 28. §. 2. & l. 29. h. t. valet.**

XXI. Vice versa, si pater filio (nam si Dominus servo paciscitur, certum est illud pactum non nisi Domino prodesse posse) paciscatur, negatur illi prodesse *l. 21. §. 2. h. t. sed saltem patri, si scilicet id actum fuerit h. e. nisi ex conventionem appareat, quod tantum filij personam spectaverit. Pacisci quoq; pater filio potest tanquam heredi *l. 33. h. t. quia heredi consuli & cavere est concessum *l. 10. ff. de pact. det. al.***

XXII.

XXII. Conjunctio, quæ alteram facit exceptionis causam, est vel inter duos correos principaliter obligatos, vel inter reum & fidejussorem. Correi vel simpliciter tales sunt, vel socij. Si socij, tunc unius pactum prodest alteri *Gl. Bart. & communiter DD. in l. 25. h. t.* idq; per regulam *in l. 21. §. ult. h. t.* quia interest socij socium non conveniri habiturum adversus eum regressum. Si non sint socij, unius pactum alteri non prodest *d. l. 25. h. t.* per rat. à contrario sensu *ex d. l. 21. §. ult. eodem.* Cum vero posteriori jure correus, qui totum exsolvit, à correo partem repetere & conventus exceptionem Divisionis opponere possit. *Nov. 99.* aliud videtur dicendum, quod non nisi pro parte alter pacto non comprehensus queat conveniri.

XXIII. Quando fidejussor cum reo conjungitur, aut illi accedit, tunc reus aut paciscitur in rem, aut in personam. Rei pactum reale omnimodo prodest fidejussori, utpote, cum ejus intersit etiam fidejussoris obligationem esse dissolutam *l. 21. §. ult. in fin. h. t.* quæ ratio quia non obtinet, quando donandi animo fidejussit, id eodq; hoc casu pactum rei illi non prodest *l. 32. eod.* Personale verò pactum fidejussori non prodesse traditur *in l. 22. hoc tit.* Sed hodie post introductum per *Novel. 4.* ordinis seu excussionis beneficium, quo fidejussor ante principalem conveniri non potest, pactum rei personale etiam proderit fidejussori. E contrario fidejussoris pactum reo non prodest, quia nihil ipsius interest à reo non peti *l. 23. h. t.* parit tamen reo exceptionem doli, si hoc actum sit, ne à reo quoq; petatur *l. 25. §. fin. & l. seq. h. t.*

XXIII. Successionis ratione supra posita regula sic est limitanda. Successor est vel universalis vel particularis. Universalis est heres, cui pactum in rem à defuncto factum prodest, licet nulla ejus facta sit mentio. Personam enim heredis eadem censetur cum persona defuncti *l. 11. de divers. temporal. præscript. l. 24. de V. S. &* qui paciscitur, non minus de herede quàm de se cogitat *l. 9. de probat.* si verò est personale, ad heredem non transit *l. 25. §. 1. h. t.* præsertim si ejus mentio nulla sit facta. Si verò ejus mentio facta, videndum, an facta sit tanquam heredis, an verò velut extranei. Priori casu pactum est utile, posteriori inutile, licet cujus nomen comprehensum erat, paciscentis existat heres *l. 17. §. 4. h. t.* proderit tamen ei doli exceptio *l. 21. §. 2. eod.* Potest etiam paciscens uni ex heredibus prospicere, cui soli exceptio pacti acquiratur, non etiam cæteris *l. 33. h. t.* idemq; confirmatur *l. 1. de pactis dotal.*

XXV.

XXV. Successor particularis est v. c. Emptor, donatarius, legatarius, quibus auctorum suorum pacta in rem facta in idem profunt *l. 17. §. 5. h. t.* Et in emptore quidem apertum hoc est, utpote qui adversus venditorem regressum sit habiturus per actionem de evictione, ideòq; merito pactum ejus prodesse illi debet, per regulam in *l. 21. §. fin. eod.* De cæteris etiam non dubitandum, quia hæc pacti realis est natura, ut cum generaliter fuerit factum, in universum quoq; proficit omnibus, qui in rem successerunt, *l. 7. §. 8. eod.*

XXVI. Deniq; Administratio facit, ut aliorum pacta alijs profint. Sic Procurator pacisci potest Domino *l. 10. in fin. h. t.* intellectu enim aliquo ipse pacisci videtur *l. 8. §. ult. de religiof. & sumptib. fun.* quod intellige de quovis procuratore bonorum, sive speciale habeat de paciscendo mandatum sive procurator sit omnium bonorum, *l. 12. h. t.* Procurator etiam in rem suam idem potest *l. 13. §. 1. eod. &* horum pacta non solum profunt mandatoribus, sed etiam nocent *d. l. 10. in fin. hoc tit.* Tutoris verò pactum prodest quidem pupillo, *l. 15. h. t.* non tamen ipsi nocet *l. 22. C. h. t. l. 28. §. 1. ff. eod.* Idem dicendum de curatoribus Reipubl. quæ minoribus comparatur *l. 3. C. de jur. reipubl.* quod eorum pacta quidem prodesse queant, non autem nocere *l. 27. h. t.*

XXVII. Hactenus de causa pacti Efficiente: Sequitur Materia, quam constituunt res quævis honestæ, licitæ, privatæ, quæ in nostro sunt commercio, quasque fieri vel non fieri nostrâ privatim interest *l. 7. §. 7. §. 13. & 3. seqq. h. t.* De re igitur turpi & illicita non est paciscendum, & inita pacta turpia nullius sunt momenti *l. 27. §. 4. h. t.* æquæ ac turpes stipulationes *l. 26. de V. O.* Nam nec ea quæ bonis moribus sunt adversa facere nos posse est credendum *l. 15. de condition. institut.* Hinc super delictis futuris nemo rectè paciscitur *d. l. 27. §. 4. h. t.* Ad illicita hæc pacta pertinent quoq; pacta Procuratorum & Advocatorum cum clientibus de quotâ litis *l. 53. h. t. l. 6. §. 2. C. de postul.* Medicorum super salario cum ægrotis *l. 9. C. de Professor. & Med. junct. l. 3. de ex- traord. cognit.* Laborant enim hæc suspitione concussionis & violentæ extorsionis, quam leges detestantur.

XXVIII. Porro de viventis hereditate & successione pactum velut plenum tristissimi & periculosi eventus improbatur *l. fin. C. hoc tit.* nisi is, de cujus hereditate agitur, consentiat *d. l. fin.* aut pactum sit milieum reciprocum ac mutuuum *l. 19. C. eod.* aut Socij inter se de incerti alicujus

alicujus hereditate obventura inter se convenient. *l. 3. §. 2. pro socio* Sed cum à jure civili tum jus canonicum recesserit, quo pactum de non succedendo juramento confirmatum valet *cap. quamvis de pactu in 6.* tum feudale, quo dominus de feudo viventis adhuc vassalli ad se post mortem ejus reversuro alium investire potest, §. *moribus 2. feud. 26.* usu & consuetudine postea invaluit, ut & de succedendo pacta admitterentur, & hodiernis Imperij moribus tertia nunc species heredum, qui Conventionales dici possunt, frequentetur. Tale est pactum inter illustres personas Confraternitatis *Gail. 2. ob. 127. num. 9.* Reciprocum & mutuum inter conjuges, *Gail. 2. observ. 126. per 101. & 117. n. 6.*

XXIX. Cæterum nec pacisci licet de republica *l. 7. §. 14. h. 2. ad publicam* sc. læsionem pertinente *d. §. 14.* omne enim pactum, quod à re privata est remotum, & publicam contingit causam, nullatenus servandum *l. 27. §. 4. eod.* Sic nec jus publicum privatorum pactioibus mutari potest *l. 38. eod.* Generaliter quicquid à jure communi est remotum servari id non oportet, nec jusjurandum de hoc adactum quicquam valet *l. 7. §. 16. eod.* Siquid tamen legibus & jure communi introductum est favore tantum privatorum, super eo pacta & conventiones sunt licitæ, ver. caus. ne quis operis novi nuntiationem exequatur, *d. l. 7. §. 14. h. 2.* ut ex causa depositi omne periculum praestetur, *d. l. 7. §. 15. eod.* & simil. Quod pertinet Regula, quod unicuique liceat favori pro se introducto renuntiare *l. pen. C. h. 2. l. 41. de minor.*

XXX. Forma pacti consistit in nudo consensu, unde & per nuntium vel Epistolam inter absentes conveniri potest *l. 2. h. 2.* Inter praesentes autem sufficiunt quælibet verba nuda & simplicia citra solentem interrogationem & responsionem, quæ opus est in stipulationibus. Imò si constet, partes saltem pacisci voluisse, nihil obstant hæc verba, *rogavit, spondit,* intervenisse *l. 7. §. 12. h. 2.* Sic verba etiam in futurum concepta utilia sunt ad inducendum pactum, ut, *si intra illum diem partem debiti mihi solveris, residuum acceptum tibi seram* *l. 41. eod.*

XXXI. Effectus pactorum sunt: i. Ex pactis jure naturali oritur obligatio Naturalis enim æquitas postulat, ut pacta serventur *l. 1. pr. h. 2.* hinc quod ex pacto solvitur repeti nequit *l. 21. C. de pactu h. 29. §. fin. ad Trebell. l. 26. §. filia, de pact. dotal.* Usura promissæ pacto naturaliter debentur, nec solutæ repeti possunt *l. 5. §. 2. de solut. l. 3. C. de Usuris.* Quod igitur *l. 7. §. 4. h. 2.* dicitur, pacta obligationem non parere, de ci-

B

vili

vili est intelligendum, quo nec obligationem nec actionem olim producebant. Hodiernis verò moribus ex pacto quovis licito & serio inito actio datur.


XXXII. 2. Pacta etiam dissolvunt obligationem, & vel ipso jure, vel ope exceptionis. Ipso jure perimunt obligationem naturalem *l. 59. §. 4. de solut.* etiam civilem mixtam ex contractibus, qui solo constant consensu *l. 27. §. 2. v. idem dicemus, b. t. §. 4. instit. quib. mod. sollit. obligat.* ope exceptionis obligationes civiles cæteras. Iniquum est enim condemnari, qui cum actore convenit, ne à se peteretur *§. 2. instit. de exception.*


XXXIII. 3. Pacta legem dant contractui *l. 43. b. t. l. 23. de Reg. jur. l. 8. de prescript. verb. l. 24. locat. cap. contractum, de R. J. in 6.* quod intellige de pactis *v. quæ non sunt contra naturam contractus l. 7. §. 5. v. idem responsum b. t. 2.* quæ in continenti non ex intervallo adijciuntur *d. l. 7 §. 5. v. idem Marcellus, eod.* Illa enim insunt contractui, & ipsam formant actionem *d. l. 7 §. 5. pr. eod.* Insunt autem contractibus non solum bonæ fidei *l. 7 §. 5. b. t.* verum etiam stricti juris *l. 4 §. ult. b. t. l. 27. C. eod.* Sed de effectu pactorum in continenti vel ex intervallo adjectorum uberius agentem vide *Hotoman. illust. quest. 56. C. 37.*


XXXIV. 4. Pactum prius per posterius eliditur *l. 27. §. 2. b. t.* quod intellige, quando priori pacto actio ipso jure sublata non est, alioqui si pacto convento actio fuerit perempta, prius pactum per posterius non eliditur *d. l. 27. §. 2. v. si pactum, b. t.* Præmissæ regulæ convenit etiam illud, quod pactum novissimum priori prævaleat, ac sit servandum *l. 12. C. b. t.* quod limitatur, nisi prius clausulam habeat derogatoriam ad secundum, tunc enim hoc infirmatur, nisi rursus in posteriori clausulæ illius mentio fiat, illiq; derogetur vide. *Salicet. ad d. l. 12. C. b. t. num. 4.*

XXXV. Deniq; Interpretatio pactorum stricti, ut aiunt, est juris, h. e. non ultra verba paciscentium, nec ultra ea, de quibus est actum, extendenda *l. 27. §. 1. C. l. 35. l. 56. b. t.* ideoq; regulariter nec nocent nec profunt alteri *l. 42. l. 52. pr. eodem.* Obscura verò & ambigua sic accipienda sunt, prout naturæ rei vel usui & consuetudini regionis sunt aptiora *l. 34. C. 67. de R. J. & ut potius valeant quàm pereant l. 12. de reb. dub. l. 80. de V. S.* Quod si verò certitudo aliter haberi non possit, contra proferentem, qui apertius loqui poterat, interpretatio est facienda *l. 39. b. t.*

FINIS.







the scale towards document

indicio, quæ alteram facit exceptionis causam, est vel principaliter obligatos, vel inter reum & fidejussor-
pliciter tates sunt, vel socij. Si socij, tunc unius pactum
Bart. & communiter DD. in l. 25. b. t. idq; per re-
lt. b. t. quia interest socij socium non conveniri ha-
eum regressum. Si non sint socij, unius pactum alteri
s. b. t. per rat. à contrario sensu *ex d. l. 21. §. ult. eo-*
posteriori jure correus, qui totum exsolvit, à correo par-
conventus exceptionem Divisionis opponere possit.
tur dicendum, quod non nisi pro parte alter pacti
queat conveniri.
ndo fidejussor cum reo conjungitur, aut illi accedit,
citur in rem, aut in personam. Rei pactum reale om-
dejussori, utpote, cum ejus intersit etiam fidejussoris
dissolutam *l. 21. §. ult. in fin b. t.* quæ ratio quia non
donandi animo fidejussit, ideoq; hoc casu pactum rei
32. eod. Personale verò pactum fidejussori non
in l. 22. hoc tit. Sed hodie post introductum per-
seu excussionis beneficium, quo fidejussor an-
veniri non potest, pactum rei personale etiam pro-
contrario fidejussoris pactum reo non prodest, quia
è à reo non peti *l. 23. b. t.* parit tamen reo exceptio-
tum sit, ne à reo quoq; petatur *l. 25. §. fin. & l. seq. b. t.*
cessionis ratione supra posita regula sic est limitanda.
niversalis vel particularis. Universalis est heres, cui
defuncto factum prodest, licet nulla ejus facta sit men-
heredis eadem censetur cum persona defuncti *l. 17.*
præscript. l. 24. de V. S. & qui paciscitur, non mi-
am de se cogitat *l. 9. de probat.* si verò est personale, ad
sit *l. 25. §. 1. b. t.* præsertim si ejus mentio nulla sit
mentio facta, videndum, an facta sit tanquam heredis,
anei. Priori casu pactum est utile, posteriori inutile,
comprehensum erat, paciscentis existat heres *l. 17. §. 4.*
neci doli exceptio *l. 21. §. 2. eod.* Potest etiam paciscens
ospicere, cui soli exceptio pacti acquiratur, non eti-
s. idemq; confirmatur l. 1. de pactis dotal.